…owski Niul…

Pęcherzyński Adami Stanisl: Acroama Lubranscian: Apollinis –

PANEG. et VITAE
Polon. Fol.
№ 1695.

ACROAMA
LUBRANSCIANI
APOLLINIS,

Magno & Meritissimo Honori

PERILLUSTRIS & REVERENDISSIMI DOMINI

D. NICOLAI
ZALASZOWSKI

Vtriusq; Juris Doctoris, Proton[illegible]rij A[illegible]
stolici, Ecclesiæ Cathedralis Posnaniensis [illegible]
chidiaconi, Causarum Consistorij Judicis
Surrogati, Seminarij Provisoris,
S. R. M. Secretarij
Mecænatis Acade[illegible]iæ Munificentissimi,
[illegible]um
Inter acclamationes publicas, & solemnia Auspicia Ar-
chidiaconus Ecclesiæ Cathedralis Posnaniensis
renunciaretur,

APPLAUDENTIS.

PER

M. ADAMUM STANISLAUM PECHERZYNSKI In Alma Vniversitate Cracoviensi Philosophiæ Doctorem, in Collegio Lubransciano Posnaniæ Poëseos & Matheseos Professorem,

In Argumentum debitæ Observantiæ, veneràbundo Cultu

CELEBRATUM.

Anno plaudentis Naturæ humanæ ex Incarnato DEO 1 6 9 5. *Die* 8. *Augusti*
Typis Academiæ Posnaniensis.

n. n.

Jn Gentilitium JNSIGNE
PERILLVSTRIS & REVERENDISSIMI DOMINI



21.682

En CAPUT excelsis radians Virtutibus, inde
Promeruit Cleri, totius esse CAPVT.

IOANNES de Malczewo MALCZEWSKI
Subdapiferides Callissien: Pöés: in Acad: Posn: Stud.

Supremum PRÆSVL CAPVT est quod dirigit omnes,
Hoc CAPUT emeritum cætera membra reget.

IOANNES de Cereknica CEREKWICKI
Pocillatorides Schowensis Pöéseos Stud:

Laurea serta CAPUT decorant Virtusq; Corona est,
Fausta Coronatus vota gubernet Honos.

IOZEPHVS de Iasi:no LASINSKI
Pöés. in Acad. Posn: Stud.

R.R.

PERILLVSTRI & REVERENDISSIMO DOMINO

D. NICOLAO ZALASZOWSKI

Vtriusq; Juris Doctori, Protonotario Apostolico, Archidiacono Ecclesiæ Cathedralis Posnaniensis, Judici Surrogato, Seminarij Provisori S. R. M. Secretario.

Patrono & Protectori Collegij Lubransciani Munificentissimo.

AMplitudine gratiarum toties pressus, ubi sub tanto pondere cadere & ingemiscere debuerat, magis erigebatur; hodie tandem procumbit, sed ad Tuas plantas, non tam gratulabundus, quàm Venerabundus Lubranscianus, immò & Tuus, quia Tibi æternum mancipatus Apollo. PERILLVSTRIS & REVERENDISSIME DOMINE. *Audet gestiens applaudere tanto honori Tuo, ad hodiernæ inaugurationis Auspicia, sed magnitudinem Nominis Tui, non dicam exæquare rudi Minervâ, verùm ne attingere quidem ex iusto valens, intra cancellos tenuitatis suæ arctari cogitur. Erumpit tamen ex angustijs suis excessu lætitiæ, substernitq; pedibus Tuis, hoc quantumvis vile & Nomine Tuo prorsus indignum munus, eò audentius, quia devotum in illo, & vectigalis gratitudinis ac debitæ venerationis Tibi Protectori suo deponit testimonium. Erubescit quidem in conspectu Tuo, cum tam exili opella apparere, cæterum & hæc grandescet ab illustri vultu Tuo, si illam benigno obtutu acceptare non dedignatus fueris. Quid enim non subito illustrius ubi Tuum amplissimum sub intraverit sinum? quid non Majestuosius? ubi vel fimbriam saltem magnitudinis Tuæ tetigerit. Radians quippe tersissimis sapientiæ splendoribus, Claritudo Tua, etiam umbratilia quæq; & serenare potest & beare. Nam Candidum nativoq; ebore plenum* CAPVT *Tuum non tàm senio, quàm diuturnis laboribus nivosum. Viva Omnium scientiarum officina est, tantoq; ingenio conspicuum, ut omnium fermè sæculorum ingenia exhauserit,* CAPVT *hoc Tuum Aurum optimum est, quia laureis coronatum, quibus Aurum cedit Omne cum Perside tota: quod, licet sit animorum Compendium, sapien... fastigium, summitas & Apex eruditionis non tamen tumidâ cervice, in altum erectum, nec tetricâ fronte (nisi forte vitijs) indignabundum: immò verò omnibus est affabile, omnibus accessibile, ad omnes pronum prorsus omnibus se submittit; ita tamen, ut nec humanitas Authoritatem, nec facilitas dignitatem, nec justa severitas amorem ejus diminuat; eòq; hoc decus in Te admirabilius, quò rarius, vix enim alicui contingit & abundare fortunâ & carere superbiâ, Certat enim pro Te ad Aras pietas, ad Tri-*

bunal

bunal justitia, ad Cortinam Themidis sapiens integritas inter pares affabilis gratia, inter superiores non fucata reverentia, cum inferioribus dulcis comitas cum omnibus candor, & quidem ille Cygneus, quô ut senium ita & animus Tuus incanuit. His ergo usq; ad animorum delicias velut Aurea Herculis Catena, omnium corda ad Te trahis omnium mentibus illaberis, & cum jam medullas cordium apud omnes occupaveris, ipsis quoq; Purpuratis Principibus factus es delicium & illiciũ. Hinc apud Celsissimum Principem, Illustrissimum & Reverendissimum Dominum Dominum STANISLAVM in Magna Witwica WITWICKI DEI & Apostolicæ sedis gratia Episcopum Posnaniensem Ducem Crobensem &c. &c. *Summum ingeniorum æstimatorem & corculum sapientiæ, ingens Tui æstimatio, qui videns Te in Consummata prudentia Lycurgum, in justitia Aristidem, in gravitate Catonem in dandis consilijs Consum, in solertia Curium, in experientia Fabium, in eventibus prospiciendis oculatissimum Argum, in sustentandis oneribus Atlantem, alijsq; gravissimis functionibus parem, & idoneum Alcidam; sciens prœterea Te nihil posse agere, quod non sanctitatem, quod non æquitatem, quod non iustitiam redoleat, non immerito altioribus honorum stipendijs in compensationem meritorum, Te cohonestandum esse iudicavit, & fecit quidem id* PRÆSVL Illustrissimus; *dum Te candidissimis* Peraugusti Capituli *suffragiorum Calculis,* ARCHIDIACONVM *eligendum præsentavit, effecitq; ut desideria omnium gaudia tandem fierent; Tuq; inter gemmas Cathedralis Basilicæ Posnaniensis Claritudine Virtutis & sapientia in gratis expectantium Oculis, Oculus & ipse* PRÆSVLIS *lucidissimus quia* ARCHIDIACONVS *radiares: non accessione aliqua honoris Tui quem ita Virtute supergressus fueras: sed ævi nostri felicitate cui servatus es: ut jam ex Te ipso coronatus, ipsum etiam honorem supereminentibus meritis coronares. Prepende ergo iam titulos, computa fastos, quos pulcherrimis Virtutum meritorumq; ingentium decoramentis abunde implevisti. Collige & colliga in Augusto, Omni fruge Augustiorem gloriæ Tuæ fructum, Mensis hic, vel in Te ipso Vberrima meritorum messis est. Nihil iam Tibi ad felicitatis Acervum deest; dum tanta decorum Vbertate bearis. Occupa eam Iurisdictionis sedem, quam cum honore isthoc iure merito capessis, suscipe regimen super Clerum; cui Te superi, ut faustissimè destinârunt, ita Vividum & incolumem diutissimè servent. Iam autem inlytum* CAPVT *Tuum Vsq; ad prodigium & stuporem dotibus eximiis coronatum, quod iam dudum Ecclesiæ* DEI *lapis Angularis, non quidem aliqua Volubilitate rotundus sed firmitudine constantiæ atq; humilitate cordis quadratus, ut omnibus immotus; modo Diœcesis huius Posnaniensis firmissima Basis & murus Aheneus esto. In qua cum dulci recordatione perennabit Nomen Tuum.*

dum Terram pontus, Cælumq; levabit
Aer, & longi Voluent Titana labores.

Ibitq; per Ora Virûm, disertissima præclare factorum Tuorum fama, ad seram posteritatem processura, cui nec ipsa fata triste imperabunt silentium, quo Augusta meritorum Tuorum decora desinat Orbi recensere. Vive interim tot ætates, quot candidos faventium Tibi calculos habes, Aurea sæcula Vive, quia Vir aureus, quod, dum Tibi APOLLO *millenis exoptat Votis, hunc quamvis laudibus Tuis imparem, quem tenui* MVSA *sub* PINV LVBRANSCIANA *cecinit plausum prono Cultu, Tuis subijcit plantis. Per me qui sum*

PERILLVSTRIS & REVERENDISSIMÆ
DOMINATIONIS VESTRÆ
Infimus Cliens & humillimus servus
M. ADAMVS PECHERZYNSKI
Phiæ: Doctor, in Collegio Lubr: Pôés, Professor.

ACROAMA LUBRANSCIANI APOLLINIS

Magno & Meritissimo Honori

PERILLUSTRIS & REVERENDISSIMI DOMINI

APPLAUDENTIS.

VOcibus Aonijs, sacræ resonate Sorores
Lætum Sarmatico, personet orbe melos
Tollite dulcisonos celsum super æthera cantus
Musæ, Cælicoli pignora clara Jovis.
Cyrrhæis imbuta vadis, & nectare metra
Ad numeros magni Nominis inde fluant.
Emeritum celebrare CAPUT meritisq, decorum
Jncumbit doctis ingeminare modis.
Quanquam sponte sua pretium fert nobile virtus
Laudatore carens, sufficit ipsa sibi.
Non eget incomptis verborum plausibus hæres
Vocalis semper prosperitatis honos.
Attamen ut liceat tenui modulamine Vati,
Jn tantum sacri pectoris ire decus.

Da veniam sublime CAPVT, pretiosiùs auro
Ac omni quidquid Colchica lana tenet.
Da veniam metris quæ crede minora videbiis
Ac nunquam factis appropriata Tuis,
Nunc LVBRANSCIACO veniunt solatia Clivo,
Festiuis resonent Præsulis ätra jugis,
Prælati culmen ZALASOVIUS occupat alti.
Præsuleiq; Oculus cordis ab inde venit.
Sic post sudores exantlatosq; labores,
Conveniunt tanto præmia digna Viro
Sic ratio mandat sic ipsum postulat æquum,
Sic & stelligeri iussa Tonantis avent.
Magne Vir atq; decus Cathedræ lux inclyta Cleri
Suscipe pro meritis præmia justa Tuis,
Præmia doctrinâ vigili, quæ nempe parasti
Munus Prælati, poscit habere Themis,
Et meritis debetur honos, & gloria factis,
Jure ergo cedunt munera tanta Tibi.
Jnde Diæcesis Pôsnæ nunc gaudia mille
Concipe læta simul jubila magna cie,
Jnstaura plaususq; Viro componito tanto,
Qui Tuus est Judex, blandus & ille Pater.
Siq; magis flagras tantum cognoscere Nomen
Et dotes animi, discere forte cupis.
Audi; quale Tibi votum dabit Augur Apollo,
Musarum Præses Pierijq; Chori.

Lex

Lux Lubranſciacæ ſedis, quem protegit alta
PINVS, ab adverſis impetibusq; feris,
Eſt Vir hic inſignis cuius laus inclyta fervet
Junctaq; virtuti ſidera fama petit,
Nectar Cûi verbis & dulcis in ore voluptas
Raraq; congeſto gratia fonte fluens.
Hic virtutis amor, probitatis dulcor & æqui,
Eximium veræ tum pietatis opus.
Divini Zelans cultus pronusq; ſubire
Mille vias mortis, pro grege proq; Deo,
Ac ſi Relligio ſpectetur vera Deorum
Eſt veræ merus Relligionis amor
Romanum ſuperat cultâ gravitate Catonem,
Neſtora Conſilijs, Attiliumq; fide.
Et ſimul eximium ſuperat virtute Metellum,
Eloquio Marcum, relligione Numam,
Jngenio magnum quondam præcellit Ulisſem,
Ac veteres animi Nobilitate Viros,
Juſtitiam ſervat iuſti tum pondus & æqui
Atq; docet Clerum jura tenere Dei.
Jmmani ſtudio ſinuoſa Volumina Juris
Verſat, & aſsiduo plena labore legit,
Bartholus & Baldus ſe victos iure ſatentur,
Et quisquis iuſti, Nomen & omen habet,
Ex Jure obiectis, quâm reſpondere paratus,
Jus Conſiſtorij dicere grande poteſt.

Addo quod in dubijs nunquam vox faucibus hæsit,
Ad respondendum, lingua diserta paret,
Non memini vidiq; simul præsente locuto,
Qui melius nodos solveret ore graves,
Neue secuturo sua virtus occidat æuo,
Extendit famam per pia facta suam,
Jn cultus Superûm, dives fortuna locatur,
Divorumq; sacras, condecorando Domos.
Respice si dubitas Crucifixi vulnera Christi,
Quæ prope miraclis prodigiosa colis;
Respice quám pulchro decoratur honore Capel-
Munificâ sanctæ dexteritatis ope. (la,
Eximium Columen Regni, sidusq; Polonum,
CANTIVS; auspicio nobiliore sonat,
Cujus festa dies, solenni cernua luce,
Jllustrisq; novo, semper honore viget,
Jn cuius cultum Censu potiore refertur,
Magne ZALASZOV J Relligiosa manus:
Auro non parcit quod sæpius errogat usu,
CANTIVS ut Nostro Climate notus eat,
Mecænas celebris studij, Nostræq; Juventæ
Cuius Patrono, Munere turba calet.
Pieriasq; suo devincit amore Camænas,
Et censu prohibet, frigora sæva pati.
Largus in extremâ qui paupertate jacentes,
Jn terris prorsus CANTIVS alter erit.

Istas

Jstas Centocul us, quondam benè præfe ſit Argu
Eximias dotes, WIERZBOVIANVS Olor,
Excepit carum pectus, mediāq; locavit
Parte ſui Cordis, dulceq; mentis onus.
Præſul quem celebrat doctarum turba ſororun
Quas ſimul illius gratia larga fovet,
Narrabitq; canens, hæc tanti dona Patroni,
Quam longè Noſtris hæc fluet vnda fretis.
Hæc pariter vidit Lechæo ſidus in Orbe
WITVICIVS, noſtri gemma decusq; Poli.
Delicium ſponſæ Muſæi gloria noſtri,
Quod nunc Præſuleâ protegit ille manu.
Protegit affectu, facundo dives in ore,
Poloni in facie, judicioq; Jovis.
Prælati Munus tanti, vel judice Cælo,
Huic ultrò confert auſpicioq; Poli.
Hoc, ſolito Vir magne gradu conſcende Cac
Quod Tibi debetur, quod meritisq; Tuis, (me
Fauſtè & fortunatè iſtas aſcende Curules,
Quas meruit virtus, gloria, fama Tua,
Te locus & munus, Cælo dictante popoſcit,
Te quoq; multorum publica vota Virûm.
Præſulei pupilla Oculi Vitæq; probatæ,
Hoc in honore velut Lydius ipſe lapis.
Gratulor hanc ſortem ſupra cecidiſse merentē
Jagiellonicæ gloria magna Domûs.

Quem studijs Puerum Craciæ tenuêre Camenæ,
Hic crevit Patrio prima Juventa sinu.
Hic puros latices, hîc sanctæ dogmata Stoæ,
Cor sapiens hausit, principiumq; tulit.
Hîc & digna tulit Lechicis Oracula Delphis
Responsis Cathedras, dogmatibusq; beans.
Roma sed vrgebat, celeres super ardua passus,
Clima suum memorans, deliciasq; loci,
Huc Tuus accelerans animus pernicibus alis,
Doctrinæ sitiens, & pietatis amans.
Ille sacer totus, cum Pallade totus agendis
Jntentus rebus, Nutibus atq; pijs,
Nec Campanus ager, nec Floræ culta venustas,
Tempe & quæ vincunt, Tessala mille joci,
Nec pulchrum Tybur, vastis nec scena Theatris,
Amplius haud oculos, hîc tenuere Tuos.
Omnia namq; brevi virtus dexterrima vicit
Sacris invigilans, ac potiora petens.
Tu potior Conso, studio Te jungis honesto,
Jn Te sacra movet, dulcia vota Themis,
Tum sensus formare graves, sub judice Roma,
Et Cæleri doctas, perficis arte vices.
Hinc gratus Musis, hinc Doctoralia prensas,
Et meriti Capitis, præmia digna capis,
Lauro Roma Caput cingit mentemq; togatã,
Jnstruit artifici, gloria summa manu.

O Te felicem cui mox in vertice sacro,
Pignora Musarum, Laurea serta nitent.
Alta petant alij spumantibus æquora remis
Ac inconsultis, ire sub astra vijs;
Tu tranquilla petis, securæ tempora vitæ,
Nec tumor eximium; pulsat inanè CAPVT.
Sed vix arcanâ voluis sub nube latere,
Lucem sub modio, non cohibere potes.
Te vocat emeritis uirtus super ardua factis,
Te iussit celso summa tenere loco;
Vt populo monstres magni mandata Tonantis,
Ostendasq; viam, scandere Regna Poli.
Ergo felici scandas sublimia calle,
Et quo cepisti pergere, perge gradu,
Atq; Diæcesim proprijs virtutibus orna,
Vrgeat exemplum Mystica vita Tuum.
De Te conceptas hominum spes suaviter auge,
Adspirent votis forsq; DEVSq; Tuis.
Namq; DEUS sacri Te Vir doctissime Cleri,
Arbitrum posuit, sanctaq; iura dedit,
Jllius ut servent sanctissima dogmata cures,
Et cultum sacræ, Te moderante, Domûs
Splendeat exiguo quamvis decorata metallo
Sponsa DEI, passim, quæ modo squallet iners
Firmabit vires successus atq; beatos,
Adijcietq; Tibi vela secunda DEVS,

Scilicet obſequio, quisquis Cæleſtia ſervat
Vota, ſit ac pietas officioſa Polo,
Non hunc confundent millena pericula vitæ,
Nec, qui Tartareas Cerberus haurit aquas,
Ceu rupes immotus erit, contemptor hiulci
Fulminis, & ridens tela triſulca Jovis.
Auſpicijs fretus Divinis, omnia vano
Deſpectu temerat, cui DEVS ipſe favet.
Et Te ſupremo virtus coniungit Olympo,
Cujus ab arbitrio, cuncta venire vides.
Ergo DEUS fauſtum noſtro Te ſervet in orbe,
Concedens meritis omnia læta Tuis.
Aſt poſtquam ſuperas, animus ſe tollet in auras,
Seraq; ſupremam Mors dabit atra diem;
Quamvis longus adhuc vitali Circulus orbe,
Qui Tibi det Pylij tempora longa ſenis;
Jn Tua certatim ſurgent præconia Vates
Et Tua Phæbæo Carmine facta canent.
Jncolumem ſuperi longo Te tempore ſervent,
Ducas felices, ac ſine nube dies,
Sic Lubranſciacæ Muſæ ſic Augur Apollo
Sic Tibi Parnaſsus, doctaq; Turba vovet.



Fortunatus eris, pro Te nam sidera certant,
Aquibus haud dubium lumen & omen habes.
Jupiter Ascendens, in duros vota labores
Flectit, at induris dulce Levamen erit,

Diminuit natura graves vincitq; labores,
Queîs virtus robur præſidiumq; tulit.
Hinc Atlantiades volucri Mercurius Ore,
Fortunam pariter conſiliumq; dabit,
Cæſar utroq; ſacros felix ſuperabis honores,
Jbis Amaltheo dives ubiq; ſinu,
Aſt Leo cum Tauro manſuræ robora Vitæ
Spondent, ac longæ ſtamina ducta moræ,
Quæ non livor edax rabidi non jurgia fati
Scindent, duc plenos ſole favente dies.
Aſtra favent, faveatq; ſimul Deus Aſtra guber-
Vt Tibi longævo ſecula fonte fluant. (nans,

BIBLIOTH. UNIV. JAGELLONICAE

Biblioteka Jagiellońska
stdr0026723